Q. D. B. V

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

SENATVSCONSVLTIS PER INFREQVENTIAM ET FVRTIVO

QVAM

PRAESIDE

AVGVSTINO A LEYSER

POTENTISSIMO POLONIARVM REGI ET PRINCIPI ELECTORI SAXONI, S. R. I. H. T. VICARIO, A CONSILIIS AVLAE AC IVSTITIAE, CONSISTORII ECCLESIASTICI DIRECTORE, CVRIAE PROVINCIALIS AC SCABINATVS ASSESSORE PRIMARIO, ET ORDINIS IVRIDICI ORDINARIO

PATRONO AC PRAECEPTORE SVO

SVMME PIEQVE DEVENERANDO

IN ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

AVDITORIO IVRIDICO

AD DIEM XXVIII MAII ANNO CIϽ IϽ CC XLV

HORIS CONSVETIS

PVBLICE VENTILANDAM

PROPONET

EMAN. EHRENFR. MAEDERIANVS

GRIMA MISNICVS



VITEMBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS



PARS I.

DE
SENATVSCONSVLTIS
PER INFREQVENTIAM

I

Voces: senatus & senatusconsultum; hic in laxiore significatione accipiuntur.

II

Titulus senatus & senatoris sanctus maxime priscis Romanis fuit, atque adhuc hodie Polonis est.

Voces ante omnia explico. Titulum speciminis huius ex *Liuio* hausi, qui *in libro* 39 *cap.* 4 senatusconsultum per infrequentiam furtim factum commemorat. Poteram hic, si ineptire vellem, copiose de senatu & senatusconsulto agere, ac iura vtriusque late explicare, more illorum auctorum, qui, quum argumentum quoddam insitatum tractare suscipiunt, quoniam pauca, quae de illo dicant, inueniunt, tempus chartamque in explicandis generalibus consumunt, atque ea docent,

 quae

quae vel omnes ſciunt, vel quae ſcire in praeſens non intereſt. Norunt etiam ſine me iureconſulti, in quorum gratiam ſcribo, quid ſit ſenatus, quid ſenatusconſultum. Sed vnum tamen vt hic moneam neceſſe eſt. Annalium iuriumque Romanorum conditores titulum ſenatus in ſingulari veneratione habent, nec alii concilio eum tribuunt, quam penes quod ipſius reipublicae adminiſtratio eſt. Itaque apud eos ſanctum illud auguſtumque nomen nunquam magiſtratibus ciuitatum ac municipiorum adſcribitur. Sola in orbe Romano vrbs Roma ſenatum habet, & extra orbem Romanum eae ciuitates, quae reipublicae ſuae caput ſunt. Sic *Virgilius lib.* I *Aeneid. verſ.* 430 ſanctum Carthaginis ſenatum commemorat. Seruant priſcam hanc nominis ſanctimoniam adhuc hodie Poloni, ſolumque totius regni ſui concilium ſenatum, ac membra eius ſenatores adpellant, eundemque titulum a ciuitatibus ſibi obnoxiis, etſi ampliſſimis ac potentiſſimis, vſurpari indigne ferunt. Narrat *Zaluskius in epiſtolarum hiſtorico familiarium Tomo II. pag.* 552, oratorem Gedani vrbis in oratione, qua Auguſtum II regem ante portas excepit, ſenatus Gedanenſis mentionem feciſſe, ſed magnum regni cancellarium, qui in comitatu regis erat, his verbis eum interpellaſſe: *non dicite ſenatus, ſed magiſtratus.* Ego vero in hac tractatione paulo indulgentior ero, & vocem ſenatus in laxiore ſignificatione de quolibet concilio, ordine, collegio, accipiam, etiam in hoc Romanos imitatus, qui nomen hoc aliquando in coelum efferunt, & cum *Lactantio lib.* I *cap.* 10 deorum ſenatum faciunt, aliquando ad conuentus quoslibet, quin & conuenticula, traducunt cum *Plauto in Milite glorioſo actu* 2 *ſc.* 6 *verſ.* 109 & 111. Itaque ſenatusconſultum hic mihi eſt quodlibet decretum ordinis aut collegii.

III

III

Voces: per infrequentiam; explicantur,

IV

et S. C. per infrequentiam describitur.

Pergo ad voces: *per infrequentiam*, quas, vt dixi, ex *Liuio* hausi, qui idem in *lib.* 2 *c.* 23: *Nec agi*, inquit, *quidquam per infrequentiam poterat senatus.* Certum nempe numerum senatorum iam tum in antiquissima rep. Romana ad condendum S. C. necessarium fuisse, inde colligimus, quod secundum *Sextum Pompeium Festum de Verborum significat. pag.* 131, quilibet senator consuli impedimento futurus, quo minus S. C. faceret, dicere poterat: numera senatum, quum tot scilicet non essent senatores, quo numero S. C. perscribi licebat. Quem Festi locum emendat & mirifice illustrat *Brissonius de Formulis & solemnibus populi Romani verbis lib.* 2 *pag.* 183, vbi tamen numerum ipsum non determinat. Supplet hanc lacunam *Sigonius de Antiq. iur. ciu. Rom. lib.* 2 *cap.* 2 atque ante Syllam centum, ante Caesarem ducentis, sub Augusto quadringentis opus fuisse perhibet. Tandem per *L.* 3. *de Decretis ab ordine faciendis* & *L.* 3. *Quod cuiuscunque vniuersitatis* duae tertiae partes desideratae sunt; quo iure adhuc vtimur, vt infra ostendam. Est itaque senatusconsultum per infrequentiam decretum collegii, cui condendo tot collegae, quot iura requirunt, non interfuere.

V

Senatusconsultum, cui condendo duae tertiae partes collegii non interfuerunt, iure ciuili, canonico & Germaniae nullum est.

Leges Romanae, quemadmodum dixi, clare satis ad condendum S. C. duas tertias collegii partes desiderant *in L.* 3 *de*

Decretis ab ordine faciendis & *L.* 3. *Quod cuiuscunque vniuersitatis.* Iure canonico id quidem expresse repertum non est, sed saltem in *c.* 1 *X de his quae fiunt a maiore parte capituli* in cunctis ecclesiis, quod pluribus fratribus visum fuerit, incunctanter obseruari iubetur. Verum quod in iure canonico generaliter positum est, recte ex iure ciuili supplent *Panormitanus in dictum cap.* 1 *n.* 16, *van Espen in idem cap.* 1 *n.* 5 & *Engel in Collegio ad tit. X. de his quae fiunt a maiore parte n.* 3. nullumque declarant decretum capituli, in cuius confectione duae tertiae capitularium partes, e. g. ex triginta canonicis viginti praesentes non fuerunt. Etiam prisca iura Germanica numerum eorum, quos condendo decreto adhiberi oportet, non determinant, sed itidem die Verwilligung der meisten Mennige generaliter requirunt in *Spec. Sax. lib.* 2 *art.* 55. Itaque & hic summe aequum iuris ciuilis supplementum locum habet, vt minimum duae tertiae partes desiderentur. Conuenit his iuribus obseruantia Imperii. Itaque in publicis Germaniae comitiis, sicubi in collegio vel electorum vel principum vel ciuitatum exiguus nimis consultantium numerus comparet, re infecta discedirur, atque negotium ad proximum consessum differtur.

VI

Senatusconsultum per infrequentiam est, in cuius confectione, si senatus ex pluribus ordinibus constat, integer ordo absens fuit.

VII

Comitia regni vel prouinciae haberi nequeunt, quum totus quidam ordo non comparet.

Commemorabo hic illustrem controuersiam, quae olim fuit acriter disceptata. Quaedam Germaniae prouincia

uincia hoc iure singulari gaudet, vt lex nulla ferri, tributum nullum imperari, denique nullum publicum negotium confici, nisi consensu ordinum in comitiis congregatorum, possit. Quum ergo aliquando de conferendo tributo deliberandum esset, princeps comitia publice indicit, ac simul singulos ordines per literas conuocat, hisque literis suetam comminationem; er erscheine, oder nicht, daß derselbe dennoch zu allem, was geschlossen wird, gleich andern Land-Sassen, kräfftigst verbunden und gehalten seyn soll. Praestituto die, equites frequentes comparent, ciuitates autem absentiam suam per literas excusant, sed ex caussis, quae & equitibus & ipsi principi friuolae videntur. Quamobrem equestris ordo, nulla ciuitatum absentium ratione habita, de modo contribuendi in commune consultat, talemque eligit, qui equestribus praediis minimum oneri futurus erat. Adprobat ordinis equestris scitum princeps, ac ciuitates de eo certiores reddit. Hae vero id decretum praegraue sibi & prorsus illegitimum esse, nihilque omnino in illis infrequentibus comitiis actum esse, dicunt. Contra equites, legitima ista comitia fuisse, & quidquid in illis actum sit, ratum esse, ac ciuitates obligare, contendunt. Vrgent inprimis comminationem conuocationi, vt supra dixi, adiectam, notissimamque & vsu, inprimis comitiorum, receptam iuris regulam; absentium legitime vocatorum nullam rationem haberi: Es ist aller Orten, wo Land-Stände seyn, und Land-Tåge gehalten werden, ein durchgängiger Gebrauch, daß die Erscheinende auf Land-Tägen einen allgemeinen Schluß machen, mit dem Effect, daß selbiger auch die ausgebliebene, wann sie, wie hiesige Städte, mit conuocitet gewesen, kräfftigst verbindet. *Seckendorff. Fürsten-Staat, Part. 2 cap. 4 §. 10 in not. Meuius Part. 4 Dec. 201. Brunnem. ad L. 19 ff. ad municip. n. 2 & 3.* Welches so wol in denen Reichs-Satzungen gantz ausdrück-

drücklich gleichfals gegründet, R. A. zu Trier und Cölln *de an. 1512 §. 7.* R. A. zu Speyer *de an. 1529* §. 17. R. A. zu Regensp. *de an. 1541* §. 66 & 67. R. A. zu Speyer *de an. 1542* §. 121 als dem iuri communi & rationi naturali gemäß ist. *Grotius de I. B. & P. lib. 2 cap. 5 §. 17 & 20. Ziegler. ad Grot. cit. §. 17 Meuius loc. cit. Berger. Oecon. Iur. lib. 3 tit. 5 §. 32 n. 6.* Und zwar insonderheit auch in puncto publicae Contributionis, *Klock. de Contrib. cap. 6 n. 18 cum seqq. n. 75 seqq. & n. 89 Ziegler. de Iur. Maiest. libr. 2 cap. 3 §. 3 & 21 Rosenthal. de feud. cap. 5 Concl. 75 n. 1 Sixtin. de Regal. lib. 2 cap. 14 n. 28 Maier.* ICt. Erfurt. *de votor. in colleg. praerog. §. 13* welche einer Commune qua tali oblieget; *Klock. loc. cit. n. 113 & seqq. Ziegler. cit. loc.* §. *18 Reinking. de R. S. & E. lib. 1 Class. 5 cap. 8 n. 72 & 73* Ego autem istam quidem regulam; quod absentium nulla ratio habeatur; inconcussam relinquo, sed saltem ex recta ratione, aequitate & natura collegiorum explico. Sunt nempe comitia collegium illustre & augustum, quod secundum *L.* 22. *de Fideiussoribus* personae vice fungitur. Persona vero, siue homo principaliter ex corpore & anima, corpus vicissim ex membris singulis constat. Similiter comitia ex partibus essentialibus, diuersis scilicet ordinibus, ordines autem ex singulis personis, tanquam membris, componuntur. Sicuti igitur homo, cui membra quaedam desunt, homo tamen est, at, si vel corpus vel anima deficiat, homo esse desinit, ita comitia, deficientibus aliquot ordinis alterutrius membris, manent comitia absentesque decretis suis obligant, tunc autem, quum integer ordo non comparet, comitiorum nomen & naturam perdunt. Exemplo nobis comitia Romana erunt, quae, quamdiu respublica libera fuit, ordo vnus sine altero habere non potuit. Quintus Publilius Philo, dictator, apud *Liuium lib.* 8 *cap.* 12 legem tulit, vt legum, quae comitiis ferrentur, ante initum populi suffragium patres auctores fierent.

fierent. Postquam vero Tiberius secundum *Tacitum annali 1 cap.* 15 comitia e campo ad patres transtulit, populumque exclusit, comitia haberi & leges ferri desierunt, ac senatusconsultorum auctoritas orta est. Tentauit quidem Caius, teste *Suetonio cap.* 16 *in vita eius*, comitiorum more reuocato, suffragia populo reddere, sed non perfecit. Nemo cordatus vnquam conuentum Germanorum, in quo vel electorum, vel principum ordo, vel Britannorum, in quo alterutra camera, quam vocant, vel Polonorum, in quo vel senatorius vel equestris ordo vocatus defuisset, comitia adpellabit. Quamobrem sic ego de ista controuersia iudicaui: Ich will zwar nicht eben den *legem 3 de Decret. ab ord. fac.* welcher wenigstens die Anwesenheit zweyer Drittheile bey einem collegialischen Schlusse erfordert, hieher ziehen, ungeachtet er einiger Maassen in der Vernunfft und Billigkeit gegründet ist, sondern nur dieses anmercken, daß die Verfassung der teutschen Reichs-Provinzien mit des gantzen Reichs-Verfassung fast überein komme, und die Rechte der Land-Stände, sonderlich nach den alten Institutis, von den Rechten der Reichs-Stände fast nicht anders, als minus a maiore, unterschieden seynd, folglig die Land-Täge und die Reichs-Täge, wie auch in dem benachtbarten Polen geschiehet, ex eodem iure beurtheilet werden müssen. Nun bestehet kein Reichs-Tag, wenn die Reichs-Stände in allzugeringer Anzahl erscheinen, wovon ein klares Exempel in dem Reichs-Abschiede vom Jahre 1545 zu finden. Und noch heut zu Tage, wird in keinem Collegio, wenn die Anzahl zu geringe, ein Schluß gefasset, sondern dieser zur nächsten Session verspahret, wenn aber gar ein gantz Collegium, wie allhier der Städte, mangelt, so ist an keinem Schlusse zu gedencken. Quod itidem fit, quando adsunt quidem tot, quot oportet, sed ex his maxima pars defectum mandati obtendit,

ſie hätten noch keine Inſtruction von ihren Höfen erhalten, ac propterea ſuffragium ferre detrectat. Nam hi ipſi pro abſentibus reputantur, atque adeo concluſum impediunt. Quin imo integra comitia etſi legitime conuocata ob paucitatem comparentium diſſoluta fuiſſe, ex *Receſſu Imperii de anno* 1545 adparet.

PARS II
DE
SENATVSCONSVLTO
FVRTIVO

I

Senatusconſultum furtiuum ſenatusconſulto per infrequentiam perſimile, atque pariter vitioſum & inutile eſt.

II

Furtiuum hic idem, quod clandeſtinum, ſignificat.

In ſuperiore ſpecimine de S. C. per infrequentiam actum. Nunc de S. C. furtiuo agam. Vtrique ſpecimini idem *Liuii* locus *lib.* 39 *cap.* 4 occaſionem dedit. Ne quis tamen inde, quod *Liuius ibi* verba: *per infrequentiam* & *furtim* coniungit, colligat, illa ſynonyma eſſe. Differunt enim quam maxime. Duo nempe ſunt & diuerſa vitia, quae M. Fuluius apud *Liuium* ſenatusconſulto per M. Aemilium conſulem de Ambracia facto obiicit, furtum & infrequentia. Prius ICti noſtri ſuo ſtylo forſan clandeſtinitatem appellabunt. Nam clam & furtiue pro ſynonymis accipiuntur in *L.* 6 *pr. de Adquir. vel amitt. poſſeſſ.* Damnantur vero clandeſtina decreta ab Innocentio III pontifice maximo in *c.* 42 *X. de Electione.* Idem Innocentius in *c. vn. X. vt eccleſiaſtica beneficia ſine deminutione* generaliter occulta ait non carere

rere ſuſpicione, & *Baldus in L.* 1 *C. de Interd. matrim.* clandeſtinum regulariter dicit eſſe in dolo. Equidem *Vdalricus Zaſius Tomo* 3 *p.* 124 *n.* 17 tunc electionem clam fieri poſſe ait, quum ea facienda eſt in vniuerſitate de aliqua honeſta perſona, quae poteſt eſſe vtilis, ſed adeſt aliquis aduerſarius eiusdem perſonae, qui, ſi electionem reſciſcat, omnia turbaturus metuitur. Sed eam ſententiam non aliter admittimus, quam, ſi electio celetur illi, qui, vt certior de illa fiat, ius nullum habet, arg. *L.* 6 *pr. de Adquir. vel amitt. poſſ.* At ſi eam ad illos, qui certiores fieri debent, extendas, occaſio naſcetur, excludendi omnes illos, quos partibus noſtris aduerſaturos timemus. Sunt vero decreti clandeſtini variae ſpecies, quas ſingulas conſiderabimus.

III

Prima ſenatusconſulti furtiui ſpecies eſt, quod a collegis ſeorſim conſtitutis, nec in vnum corpus congregatis, conditur.

Inter decreta clandeſtina ſeu furtiua primo loco pono, quando collegae nondum in vnum corpus & collegium congregati, ſed ſeorſim conſtituti, ſuffragia ſua dant, aut alicui pollicentur. Hi vero, niſi conſuetudo clandeſtinum huiusmodi decernendi modum in collegio ſtabiliuerit, ex ſuffragio ſuo clam dato prorſus non obligantur, ſed id, quum deinde in collegium veniunt, recte retractant. In electionibus ſeu decernendis honoribus hoc maxime, vt eligentes in vnum conueniant, & de iure ciuili in *L.* 7 §. 19 *de Pactis* & canonico *c.* 55 *X. de Electione* & publicis Imperii legibus *Aurea Bulla c.* 1 & 2 §. 4 & Saxonicis in der erl. Proceß-Ordnung *tit.* 7 §. 6 verbis: zugegen geweſen, requiritur. Ratio eius rei in eo conſiſtit, quod congrega-

ti in vnum melius de persona eligenda deliberare, atque, si dissentiant, vel in personam minus habilem propensi sint, vnus alterum in sententiam suam pertrahere queat. Vide *L.* 17 §. 7 *de Receptis, qui arbitrium.* Quapropter & communis & iuri atque aequitati maxime conueniens opinio est, non in electionibus solum, sed in quibuslibet Statuum seu Ordinum prouincialium conuentibus omnibusque collegiis necesse esse, vt collegarum consensus in ipso collegio fiat, neque sufficiat, collegas omnes seorsim consentire. *Bodinus de Republica lib.* 3 *c.* 7 *n.* 336 *sqq. Klock de Contributionibus c.* 6 *n.* 128. *sqq.*

IV

Secundo senatusconsultum clandestinum est, quod a collegis quidem in vnum congregatis, sed non exspectata superioris eiusue, qui ius conuocandi habet, conuocatione, conditur.

V

Quando tamen ex mora superioris in conuocando damnum metuitur, collegium etiam sine conuocatione recte congregatur, & senatusconsultum condit.

Nullum deinde est senatusconsultum, ad quod condendum membra quidem collegii omnia, ad illam conuenerunt, conuocatio tamen ab eo, qui ius conuocandi habet, non praecessit. Ita sentit *Passerinus de Elect. c.* 11 &, qui eum sequitur, *Boehmerus in Iure Ecclesiastico l.* 1 *tit.* 6 §. 44 qui exempli loco electionem Abbatissae Quedlinburgensis anno CIↃ IↃ CC IIX, a Canonissis, non expectata Praepositae conuocatione, tentatam affert. Neque improbamus hanc sententiam, siquidem ex lege vel consuetudine ius conuocandi alicui competat. Tunc enim electio contra morem receptum celebrata nulla erit, *L.* 7 *C. de Numerariis, actuariis*, verbis: *vt consueuerat.* Quodsi tamen is, qui conuocare debebat, officium suum negligat, atque periculum

lum

lum ſit, ne collegium conuentum diutius differendo aut iure ſuo plane excidat, aut aliud detrimentum inde ſentiat, non peccabunt collegae, ſi ſine conuocatione conueniant. Vide *Auream Bullam tit.* 1 §. 18 & 19. Fecerunt id anno cIↃIↃCL canonici Monaſterienſes. Quae res digna eſt, vta nobis hic recenſeatur. Mortuo ſcilicet Ferdinando Epiſcopo, Bernhardus Malingrotius, Capituli Decanus, vt in locum eius ſufficeretur, optabat, at, quia pleroſque canonicorum infenſos ſibi norat, electionem diutius vltra quintum menſem extrahebat, vt vel diſſentientes in partes ſuas perduceret, vel terreret tamen & inuicem colliderer. Quum autem in canonibus ſacris ſtatutum ſit, vt ius eligendi vel praeſentandi, lapſis ſex menſibus, ad apoſtolicam ſedem deuoluatur, canonici ſatis intelligebant, Malingrotium non alia de cauſa electionem differre & tempus legale fere praetermittere, quam, vt vel improuiſos tandem occuparet, vel, deuoluta ad Pontificem Maximum electione, ipſe ab hoc, aut tamen extraneus quidam, nominaretur. Id vt impedirent, in commune conſulebant, atque aliquando in conuiuio apud Bernhardum de Galen congregati hunc, quaſi per modum inſpirationis, epiſcopum vnanimi conſenſu renunciant, & confirmationem electionis ſuae a Pontifice expetunt. At Malingrotius, totum id negotium vitioſum eſſe, vociferabatur, atque Innocentio X, vt is electionem confirmare conſtanter recuſaret, perſuadebat. Mortuo vero anno cIↃIↃCLV Innocentio, Fabius Chigi, qui olim in conuentu Weſtphalico Nuncius Apoſtolicus fuerat, & Galenio noſtro familiariter vſus erat, pontificiam ſedem occupat, atque electionem Galenii confeſtim confirmat.

VI

Tertio ſenatusconſultum clandeſtinum eſt, ad quod condendum omnia collegii membra vocata non fuerunt.

VII

Vnius collegae neglectio totum senatusconsultum irritum facit.

VIII

Vetus lis de Caesaris electione narratur.

Ad decretum rite conficiendum inprimis necesse est, vt omnia collegii membra fuerint conuocata. Quando vero aliqua eorum omittuntur, nullum est decretum, atque ab iis, qui omissi sunt, iuste retractatur. Ita Innocentius II. Pontifex in *c.* 35 *dist.* 63. *Quodsi*, ait, *exclusis religiosis, electio fuerit celebrata, quod absque assensu eorum & conniuentia factum fuerit, irritum habeatur* & *vacuum.* Et Innocentius III. in *c.* 28 *pr. X. de Electione*: *Quodsi*, inquit, *eos vocatos non fuisse constiterit, sed contemtos, infirmanda erit penitus electio taliter celebrata, nisi postea propter bonum pacis curauerint consentire.* Nec irrita solum electio est tum, quum plura membra in conuocatione omittuntur, sed &, quum vnum saltem, *quum*, secundum eundem Innocentium in *c.* 34 *X. de Electione*, *electioni plus contemtus vnius, quam contradictio multorum obsistat.* Quin imo electio nulla futura est, si ad eam collega licet inferior & minore reliquis beneficio gaudens non vocetur. Neque enim, vt Gregorius IX. in *c.* 55 *de Electione* loquitur, excludi potest, qui existit in canonicatus possessione vel quasi, habendo stallum in choro, locum in capitulo. Ex quo fundamento, quum mense decembri anni cIↃ IↃ cc IIX interrogarer, an canonicus, qui dimidiam praebendam possidebat, ad electionem Decani a capitulo faciendam vocandus esset, integrumque votum haberet, secundum aientem sententiam propterea, quod canonicatus etiam sine omni beneficio esse possit, *c.* 11 & 12 *de Praebendis in sexto*, respondi:

Es

Es wird zwar schwehr fallen, den vorgelegten casum in gleichen terminis in iure canonico anzutreffen, weil dasselbe von getheilten und halben Präbenden nichts wissen will, sondern solche in *c.* 8 *X. de Praebendis* ausdrücklich verbietet. Unterdessen seynd doch starcke raisons vorhanden. Die fürnehmste ist diese: Es gestehen alle Canonisten, daß ein grosser Unterschied sey zwischen dem Canonicate selbst und der Praebende, oder dem Beneficio. Jenes kan ohne diesem wohl seyn, und mag jemand Canonicus heissen, auch alle functiones und praerogatiuas eines Canonici besitzen, ob er gleich mit keiner Praebende versehen ist. Ist nun dieser ein vollkommener Canonicus, der gar keine Praebende besitzet, wie vielmehr derjenige, der doch mit einem halben Beneficio versorget ist? Da also derselbe unstreitig ein Canonicus ist, zu der Wahl aber alle Canonici und Brüder, keinen ausgeschlossen, genommen werden müssen, widrigen falls solche, wenn auch nur ein einiges, ob zwar untereß, membrum ausgelassen wird, nichtig ist; So wäre es höchst unbillig, auch so gar für eine Iniurie zu halten und zu vindiciren, wenn man dessen Person übergehen wolte. Worzu ferner kommt, daß selbiger bisher in andern actibus ein plenum votum gehabt, und also in ruhiger possess sitzet, daraus man ihn auch in gegenwärtigem Falle nicht anders, als durch ordentlichen Process, setzen kan. Sed an haec, quae diximus, in Caesaris electione quoque locum habent? Secundum *Aureae Bullae c.* 1 §. 18. Electoris Moguntini munus est, singulos Principes Electores vocare, quod etiam tam accurate obseruari solet, vt, etsi ex alia causa in loco electionis praesentes sint, & electionem instare sciant, literis tamen patentibus hoc eis significare non intermittat, quemadmodum in electione Maximiliani I. contigit, quam Electores Francofurti, vbi comitiorum causa conuenerant, suscepe-

runt.

runt. Quia tamen in eodem *cap.* 1 *Aureae Bullae* §. 19. Electores, etiam non vocati, pro fidei suae virtute, qua sacrum prosequi tenentur Imperium, conuenire & Caesarem eligere iubentur, controuersia orta est, vtrum vnus ex Electoribus, quem Moguntinus non vocauit, electionem factam rescindere queat. Negant alii cum *Vitriario in Institutionibus iuris publ. lib.* 1 *tit.* 6. §. 6. Alii cum *Limnaeo ad Capit. Ferdin. III. art.* 50 *verbis* der güldnen Bull *n.* 21 & *Schwedero P. spec. sect.* 1 *c.* 2 *n.* 7 distinguunt, vtrum Elector per negligentiam saltem Moguntini, an vero dolum, contemtum aut odium omittatur. Illo casu nihilominus validam dicunt electionem, hoc irritam. At *Reinkingius de Regim. secul. & eccl. lib.* 1 *cl.* 3 *c.* 3 *n.* 20 *Rumelinus & Mylerus ad Auream Bullam diss.* 2 §. 17 & *Auctor* des Europäischen Herolds *P.* 1 *p.* 100 huiusmodi electionem simpliciter nullam esse existimant, hocque & iuri naturali, & canonico, & monumentis historiae, & ipsi *Aureae Bullae*, quae *c.* 1 §. 21 Electorem tunc demum voce seu iure eligendi priuat, si vocatus & requisitus non veniat, conuenire contendunt, atque ad hoc, quod Elector etiam non vocatus in *Aureae Bullae c.* 1 §. 19 admonetur, vt pro fidei suae virtute, qua sacrum prosequi tenetur Imperium, sponte compareat, respondent, hanc adhortationem necessitatem comparendi inuocato haud imponere, neque Electorem Moguntinum liberare ab obligatione vocandi, quae nulla esset, si pro lubitu & sine effectu omitti posset, accedere, quod recentioribus temporibus locus electioni destinatus frequentissime mutatus sit, atque adeo Elector, nisi inuitetur & certior reddatur, quo venire debeat, id ignorare possit. Nobis non liquet, praesertim, quum, quae in vtramque partem adferuntur, exempla dubia sint. Nam, vt de electionibus Aurea Bulla antiquioribus, vt Conradi III. quam Saxones & Bavariae Dux apud *Gothofredum Viterbiensem in Chronico* per sub-

subreptionem factam dicunt, quod ad illam vocati non essent, Philippi, de qua *Godofredum Coloniensem ad annum* 1198 vide, Ludouici Bauari, & ipsius Aureae Bullae auctoris Caroli IV. nihil dicamus, memorabile est admodum, quod accidit in Maximiliani I. electione, quae in *Chronico Carionis* parum accurate cunctis septemuirorum suffragiis & omnibus Electoribus praesentibus facta dicitur. Ex antiquo enim de electione Maximiliani I. scripto, quod *Freberus tomo tertio Scriptorum rerum Germanicarum p.* 17 exhibet, satis apparet, Ladislaum Bohemiae regem praesentem non fuisse. Quin nec vocatus quidem fuit, ideoque electionem tanquam irritam impugnauit, nec approbauit eam prius, quam consensu Imperatoris & ceterorum Electorum sub poena quingentarum marcarum auri puri sanciretur, ne imposterum Reges Bohemiae ab electione Imperatorum excluderentur, quemadmodum ex Hartmanno Mauro refert *Knicben de Saxonico non prouocandi iure c.* 1 *n.* 236.

IX

In conuocatione senatus membrum ad decernendum inhabile impune omittitur,

X

quale est is, cuius in caussa, de qua deliberandum est, peculiariter interest,

XI

non etiam consanguinei eius, aut adfines.

Illud per se manifestum est, decreto non nocere, si quod membrum collegii ad decernendum inhabile non vocetur. Sic in electione Ferdinandi III. recte omittebatur Philippus Christophorus, Elector Treuirensis, qui ob foedus cum Gallo, Imperii hoste, initum ipse pro hoste Imperii habebatur atque Viennae custodia asseruabatur. Inhabilis quoque est & recte omittitur senator, de cuius caussa in prae-

 sens

ſens deliberandum eſt. Sic quum honores vel munus publicum decernuntur, candidati ipſi impune non vocantur, quippe qui in propria hac cauſſa ſua ſuffragium ferre nequeunt, *L.* 4 *de Officio praetoris*, *L.* 5 *de Officio praeſidis.* Sed frequentior eſt in collegiis quaeſtio, an is, qui vni ex candidatis ſanguinis vel adfinitatis vinculo proxime iunctus eſt, ab electione poſſit repelli. Negari hoc debet propter *L.* 5 & 6 *pr. Quod cuiuscunque vniuerſitatis.* Ibi Pomponius & Paulus: *Patris*, inquiunt, *ſuffragium filio proderit*, & *filii patri*; *item eorum, qui in eiusdem poteſtate ſunt. Quaſi decurio enim hoc dedit, non quaſi domeſtica perſona. Quod & in honorum petitione erit ſeruandum, niſi lex municipii vel perpetua conſuetudo prohibeat.* Neque aliud in iure canonico conſtitutum eſt. Quapropter rectiſſime ICti Vitebergenſes apud *Bergerum in Supplementorum ad Electa Diſcept. For. P.* 1 *p.* 107. electionem a ſenatu factam irritam declararunt, quod conſanguinei & adfines alterius candidati ab illa excluſi eſſent. Et ipſe priuatim menſe maio anni 1740 de electione in ſenatu ex quinque membris conſtante facta, in qua tres ſenatores, ſed inter hos adfinis candidati, ex vna, duo ex altera parte ſtabant, conſultus cum tribus iſtis feci: Es ſtehet dem regierendem Bürgermeiſter bey der Wahl des Rectoris ſonder Zweyfel ein votum zu, und die angegebene Verwandſchafft mit dem einem Candidato nicht im Wege, da die Rechte ſo gar einen Vater, Sohn und Bruder zur Wahl laſſen, und weiter nichts, als nur, daß ſich niemand ſelbſt erwehlen könne, verordnen, welchem die praxis bey Bergero beytritt. Diesemnach iſt die von dem regierendem Bürgermeiſter und zweyen andern Raths-Herren auf Titium gefallene Wahl richtig, und der beyden übrigen Raths-Herren Wiederſpruch ungegründet.

XII

XII

Quarta senatusconsulti clandestini species est, in quo condendo exterus, cuius praesentiam leges, pacta moresue desiderant, omissus est.

Aliquando exterus quis in collegio ius non suffragii quidem, sed praesentiae habet, ac vel ex lege, vel pacto, vel consuetudine poscit, vt nihil sine ipso in collegio fiat ac concludatur. Huiusmodi ius tribunis plebis in senatu Romano datum fuit, publico reipublicae malo, quemadmodum *Dionysius Halicarnass. Antiquit. Rom. lib.* 7 *cap.* 45 existimat. Idem ius defensores ciuitatum in municipiis Romanis habuerunt, *Nouella* 15 *cap.* 3 §. 1 quos defensores ciuitatum nostrarum syndicis persimiles esse, *Schilterus Exerc. ad π.* 10 §. 60 obseruat. Sic in Concordato Callisti, Pontificis, & Henrici V. Imperatoris apud *Leibnitium in Codice iuris gentium diplom. P. I, n.* 2 Imperatori conceditur, electiones episcoporum & abbatum Teutonici regni in praesentia Caesaris fieri, non vt ipse eligat, sed si qua inter partes discordia emerserit, saniori parti assensum & auxilium praebeat.

XIII

Omne decretum praesumtionem veritatis, integritatis & solemnitatis habet.

XIV

Is ergo, qui legitimam eius confectionem negat, hoc probare debet,

XV

vbi aliqua demonstratio sufficit,

XVI

quae tamen tunc non sufficit, quando expresse actis vel instrumento continetur, solemnia omnia adhibita fuisse.

Quum priuata etiam instrumenta praesumptionem pro se veritatis, integritatis & solemnitatis habeant, *L.* 14 *C. de Contrah. & committ. stip.* parem certe fidem actus a corpore gesti & documenta desuper confecta habebunt. Itaque fides

fides decreti, si quod ab ordine confectum exhibetur, ex hac sola praesumptione sustinetur & inconcussa stat, donec is, qui id oppugnat, vitium, quo laboret, doceat. Dico: doceat. Neque enim solennem probationem requiro. Sufficiet testimonium aliquorum, quin & vnius eorum, qui neglecti in conuocatione, vel praesentes in consultatione, cui tamen interesse debebant, non fuerunt. Hoc ipso enim praesumptio illa solemnitatis sic elidetur, vt iam necesse futurum sit collegio, illam probare. Quem in modum ICti Vitebergenses mense Augusto anni cIɔ Iɔ ccxI. de electione syndici responderunt: Daß Klägern vor allen Dingen ihr Vorgeben, daß nemlich der Schluß wegen des ausgefertigten Syndicats in Gegenwart der sämtligen Raths-Glieder gemacht worden, gebührend beyzubringen obliege. Subiectae fuerunt hae rationes: Obwohl Klägere ein mit dem Raths-Insiegel bedrücktes Syndicat ad Acta gebracht, dergleichen Instrument aber so lange praesumptionem veritatis und solennitatis, biß das Wiederspiel klärlich dargethan, für sich hat, diesemnach es das Ansehen gewinnet, als ob Beklagter entweder mit der Exceptione illegitimationis abzuweisen, oder, die Unrichtigkeit besagten Syndicats besser darzuthun, gehalten sey; Alldieweil aber zu Aufrichtung eines Syndicats alle und iede membra des Collegii geladen und beruffen werden müssen, und denn in dem Fol. 21 befindlichen Attestate unterschiedene Raths-Verwandte, daß sie von diesem Syndicate gar nichts wissen, vorgeben, wodurch dessen fides sehr zweyfelhafft gemacht wird; So haben wir Klägern die Bescheinigung ihres Vorgebens, daß nemlich alle Raths-Membra zugegen gewesen, auferleget. Graue hoc est, inquis. Et est, fateor. Sed remedium suppetit. Id quod sapientissimus legislator *Saxo* in der erläuterten Proceß-Ordnung *tit.* 7 §.6 suggerit, vt scilicet solemnia omnia, quae in confectione decreti adhibita fuerunt, recenseantur.

FINIS.